DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

MANIA

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS MURRAY PATERSON,

SCOTUS.

Hail! awful Madness hail!
Thy realm extends, thy powers prevail
Far as the voyager spreads his vent'rous sail,
Nor best nor wisest are exempt from thee,
Folly, ———————— folly's only free.

PENROSE.

Ad Calend. Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT NEILL ET SOCII.
MDCCCXVII.

PATRI SUO

DAVIDI PATERSON, M. D.

HOC OPUSCULUM,

QUA DECET

PIETATE,

SACRUM VULT

FILIUS

GEORGIUS MURRAY PATERSON.

VIRO NOBILISSIMO

DOMINO BINNING,

ANTIQUA PROSAPIA NATO,

HAUD MINUS

LITERIS ELEGANTISSIMIS,

AMORE PATRIÆ ET VITÆ NOBILITATE

INSIGNI,

QUAM

OMNIBUS VIRTUTIBUS,

QUÆ

VITAM ÆQUE PUBLICAM AC PRIVATAM

EXORNANT,

BONA INDOLE, MODESTIA, MORUMQUE

SUAVITATE,

AMICIS AC FAMILIARIBUS

CARO ET ACCEPTO:

HOC TENTAMEN QUALECUNQUE ACADEMICUM,

SUMMÆ OBSERVANTIÆ TESTIMONIUM,

ANIMO HUMILLIMO

CONSECRAT

GEORGIUS MURRAY PATERSON.

FRATRI DILECTISSIMO

JACOBO PATERSON,

LEGIONIS DECIMÆ OCTAVÆ PEDESTRIUM

APUD *BENGAL*,

SUB

PERHONORABILI SOCIETATE ORIENTALI;

HOC OPUSCULUM,

AMORIS

PIGNUS,

CONSECRAT

GEORGIUS MURRAY PATERSON.

Plura multo homines judicant *odio* aut *amore*, aut *cupiditate*, aut *iracundia*, aut *dolore*, aut *lætitiâ* aut *spe*, aut *timore*, aut *errore*, aut *aliquâ permotione* mentis, quàm veritate aut præscripto, aut juris normâ aliquâ, aut judicii formulâ, aut legibus.

Cicero *de Oratore.*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

MANIA

COMPLECTENS.

PRÆFANDA.

Animi dotes pariter ac corporis acta, omnium qui utrique consulunt, intelligere haud parùm interest; propterea quòd benè cognitum est illum cum hoc adeò arctissimè conjungi, ut, ubi quodvis alterum malè afficit, alterum non benè se habet. Animi imperio utimur cui corpus inservit; quomodò, autem, ejus voluntate artum flectamus tendamusve, in altâ caligine latet.

De principiis tam diversis, quibus est homo constitutus, optimè inquit SALLUSTIUS, "Alterum "nobis cum Dîs, alterum cum belluis commune "est." Rerum Opifex inter ea justum statuit ordinem, ex quo salus hominisque perfectio præcipuè penderet. Omnium quæ nos circumstant impressiones facilè habemus, quas sensus, quisque suis nervis, ad cerebrum deferunt, quasque ibi mens percipit, intelligit et judicat. Hoc opus tamen pernobile plurima conspirant perturbare, multùmque abest ut mens injuriis omninò vacet. His ritè perpensis, de Mania disserere nunc in animo est, quam ob ejus impetus haud paucos deplorat quisque. Quis enim aliquem non luget hoc morbo implicitum, qui amicos odio persequitur, illisque sibimetve minatur mortem? Eheu! quàm illa periit ratio quæ, viribus integris, Naturæ arcana investigavit, viasque philosophiæ luculenter docuit ac exornavit? Sed priùs notare quomodò morbum definiant Medici, nos decet, quàm ad signa progrediamur.

DE DEFINITIONE MORBI.

MORBUM de quo agimus alius definit, "Delirium sine febre constans;" cui sententiæ vix assentiar, quia fœminis Hysteriâ implicitis, et sine Febre, et sine Mania, hujusmodi delirium haud rarò contingit. Constare alii putant ex imaginum hallucinatione in cerebrum impressarum, ex quâ mens in furorem excitatur. Maniam autem CULLENUS eximius, nosologorum meritò princeps, quem quisque rei medicæ studiosus observantiâ colet, inter *Neuroses* et in ordine *Vesanarium* collocavit, et hoc modo illam definit, "Insaniam universalem;" et quoque in annotatione subjecit, "Insaniam adesse dicimus, "quando rerum relationes omninò falsæ mente "concipiuntur, ita ut homines, vel pathemata, "vel actiones præter rationem excitentur." Denique in tres species dividit; nimirùm, in

1*mò*, Maniam Mentalem, omninò a pathemate mentis.

2*dò*, Maniam Corpoream, a vitio corporis evidente.

3tiò, Maniam Obscuram, prægresso nullo vel pathemate mentis, vel vitio corporis evidente. Admodum verò difficile est, ut mihi videtur, concinnam edere definitionem ex qua morbus facilè intelligi poterit; eumque meliùs fortassè, qualis sit, ex signis enumeratis novimus.

DE HISTORIA MORBI.

Mania inter homines qui vitam agunt sub sole fervido quàm in regionibus frigidis frequentiùs sævit; adeò ut, ubi illa pro brevi remittit, æstivo anni tempore, haud rarò relapsa sit. Ubique terrarum aliquandò aliquos visa est homines adoriri, eosque magis, qui studia artesque excoluerunt.

Juvenes præ senibus obnoxii sunt, quibus plenus corporis habitus, temperamentumve sanguineum adest. Fœminas potiùs quàm viros dictum est, quibus indoles est iracunda vel livida, hoc morbo corripi. In hominibus tam diversis non potest quin variet in signis. In quibusdam, sine nota, quæ ejus impetum indicet, tardè et gradatim se solitus est ostendere. In aliis tamen caput

dolet; facies rubra est; interdum pallida: oculi spasmis capti hebescunt, aliàsque nitescunt, atque vultus tumidus, admodum homini similis qui e somno, strepitu subito, expergefactus est. Deinceps delirat mens haud sana: et quæcunque agunt dementes sine consilio rationeve apparent fieri: voces quas edunt prorsùs absurdæ; obscœna imò quæ priùs summo cum horrore habuêre, sibimet nunc voluptati sunt; ab una re ad alteram disjunctas avocant cogitationes, quæ inter se parùm conveniunt; et res quæ nunquam existere possunt, adesse concipiunt, bovemque pro diabolo credunt. Quàm perdita illa mens quæ in imaginando ita errat! Porrò, infelix famem sitimque parùm sentit, cibum potumque pariter negligit, sed haud infrequenter dolores queritur circa præcordia. Alvus astricta parùm excernit, et nonnihil tumescit. Nonnunquam æger solicitus, omnes cum suspicione habet, periculaque timet, quæ ab amicis putat parari; illos quidem quos priùs sibi carrissimos duxit, nunc pariter ac inimicos contemnit, ac concilia eorum nihili ducit.

Mente perturbatâ, totas noctes, interdum hebdomadas, vix unquam somnum captat, insomniaque eum terrent, modò horrida, modò prorsùs ludicra. Interdum præter naturam se gerit; primùm pede citò currit, dein simulacri instar subitò stat, oculisque solo fixis, diu tacet, et quasi ex imo pectore cogitans, secum mussitat. Paulò postea irâ accensus furit, viribusque ejus mirabilè auctus, adeò contendit ut vinculis ægrè cohiberi queat. Dum ita se habet, quàm transit gloria viri! Feroci eum belluæ similem, timent omnes ac fugiunt! Medius, de hoc morbo agens, ita deplorat: "There is no disease more "to be dreaded than Madness, for what greater "unhappiness can befal a man than to be de-"prived of his reason and understanding,—to "attack his fellow creature with fury like a "wild-beast, to be tied down, and even beat, to "prevent his doing mischief to himself or o-"thers." Attamen dementes nonnunquam superbiâ inflantur, summosque sibi petunt honores, animosque rebus pascentes inanibus facilè esse credunt principes et reges. Hinc postulant, imperant, et omnia in terra ac cœlo opinantur

arbitrio suo geri. Oh felices illi! si adversa nunquam eveniant: citiùs autem avolat vana spes, quâ maximè gaudent. Nunc enim oculis suffusis sæpissimè summo cum mœrore vagantur, et omnia quæ sibi voluptati fuerunt præcipuè evitant. Tædet tristes ad cœla oculos vertere, vitamque perosi mortem sibi solatio habent. Denique maniaci frigus tolerare possunt quod sine dubio sanum hominem necaret, neque ad alios morbos qui a contagio oriuntur, unquam obnoxii, et nonnulli etiam mirabili afficiuntur veneris desiderio. Ita morbus diversis in hominibus variat; in quibusdam sanitatis intervallum breve est, in aliis longum: interdum diu perstat sine intervallo lucido, aut vix ulla cum mutatione.

DE DIAGNOSI.

Signa quibus Maniam ab aliis morbis dignoscimus, satis patent acriùs investigando. Melancholia multis in rebus illæ similis est, in aliis autem discrepat. Hæc plerumque ejus impetum tardè facit, dum illa subitò accedit. Porrò,

Non invenire potui apud ullum scriptorem "cœla"

multa observantur melancholiæ exemplæ, quæ per totam ferè vitam durat, et nunquam in morbum de quo agitur, transit. Inter hos morbos quoque facilius est discrimen, cùm in varios animadvertamus animi affectus, qui in utroque apparent. Melancholicus enim tristis est, et potiùs multùm timet de rebus futuris quàm præsentibus, sed ad vitæ officia sàtis valet; dum maniâ captus furit, sine causa odit, et multò aliter se gerit. Præterea autem temperamentum melancholicum uni malo proprium est, dum alterum inter illos sanguineo imbutus multò plus sævit. Denique, regiones et anni tempus in quibus sese ostendunt morbi, illi haud parum discriminis inferunt quo distingui possunt: nempè a cœlo nebuloso ac frigido melancholia, a statu autem cœli multùm diverso mania pendet. Signa quibus mania Phrenitide sive Delirio distat, monstrare vix opus est. Hos enim morbos pyrexia semper comitatur, sed in Mania plerumque abest.

DE CAUSIS.

Causæ Prædisponentes.—Causæ quæ huic morbo prædisponunt sæpissimè valdè obscuræ sunt, et nihil veri de ægro vix dictum est, ex quo judicare licet. Inter has quæ proclivitatem dant, peculiaris corporis fabrica primum tenet locum. Ex hac enim pendent morbi hæreditarii, qui ad filium a parente traduntur. Quia, " nec desunt multa," Gregorius inquit *, " singulis hominibus propria. Non enim ac " vultus corporis constitutiones variant ;" et paulò post ait idem : " Hujusmodi varietates " non corporis modò, verùm et animi quoque " plerumque congenitæ nonnunquam hereditariæ, observantur. Hoc modo parentes sæpè " in prole reviviscunt ; certè parentibus liberi " similes sunt, non vultum modò, et corporis " formam, sed animi indolem et virtutes et vitia. " Imperiosa gens Claudia diu Romæ floruit, " impigra, ferox, superba ; eadem illachrymabilem Tiberium, tristissimum tyrannum pro" duxit, tandem in immanem Caligulam, et

* Vid. Consp. Med. Theoreticæ.

" Claudium et Agrippinam, ipsumque demum " Neronem, post sexcentos annos desitura." Sed quomodò corporis " constitutio, animi in- " doles," hanc proclivitatem morbis inducant, nobis prorsùs ignotum est. Hujus veritatem tamen observationes omnium abundè affirmant, multis in morbis aliis præter hunc quem prosesequimur. Ex labe hæreditaria sæpissimè advenit phthisis, &c.

Inter eos quorum patres Maniâ priùs laborarunt, quis non ejus aggressum videt, aut etiam valetudine adhuc firmâ timet in nepotes seros proventuram. Quod ad animum pertinet, ex quodam generis nervosi statu oriri, haud dubitandum est. Ad hoc explicandum, morbos diversos quibus homines varii afficiuntur ex iisdem causis adducere licet. Quàm sæpè homines fieri videmus iracundos et feroces ex causis levissimis quæ alios nil movent. Ita irritabilitate et mobilitate præditos, quàm homines quibus tale temperamentum vix adest, maniæ ac aliis morbis nervosis, magis obnoxios essse, verisimile est ; et hæc in juventute, quàm in senectute, plùs abundat.

Ad hanc rem pertinent mutationes quas corpus subit, ab ipso sub quo degimus, cœlo. Cuique regioni sui morbi sunt. Inter septentrionales magis prevalent morbi qui a CULLENO ordinati sunt sub Phlegmasiis ; sed in plagis calidioribus multò magis diversi in quibus vis nervosa magis pati videtur. Quamobrem sub sole ardente major est proclivitas quàm ex genere nervoso mobili facto præcipuè pendere verisimile est. Inde oriuntur in hujusmodi regionibus mores, instituta, lingua, ea imaginatio vivida, et ingeniuma cre, quod maniæ affine esse cecinit poëta in his versibus :

"Great wits are sure to madness near allied,
"And thin partitions do their bounds divide."

Præthereà, peculiare vitæ genus haud parùm confert ad morbos homines facere opportunos, cùm ad victum quo utuntur attendimus. Gentes enim quæ ventriculum implent ad onerandum usque, cum animalium carne quæ ad gustum saturandum immolantur, feroces, atroces iracundiæ esse reperiuntur, et rarò morbis ex ingluvie orientibus carent ; dum illæ quæ ad famem sis-

tendam ex re vegetabili edunt, mites et innocuæ sunt, et eorum morborum immunes esse videntur, qui voluptuosis præmaturam inferunt mortem. Inter alia quoque consuetudo recenseri potest, cujus vim et in mentem et in corpus nemo ignorat, qui illa primò ingratissima videt, posteà usu dulcia fieri, et rebus aliis antecellere, et quasi omnibus anteponi.

Causæ excitantes—Hæ causæ quibus Mania excitata est, variæ ac multiplices sunt, et ad duo genera aptè referri possunt, scilicet ;—quæ in mentem ipsam agunt, et—quæ cerebrum, corporis ope, afficiunt. De paucis eorum in animo est dicere, et quàm brevissimè, absolvam.

Studium nimium.—Ut ex nimiâ excitatione sive animi, sive corporis, utriusque vires exhauriuntur, ita quisquis animum ad literas nimis intensum habet, ille talem subit mutationem. Mente languescente nec quid legat, meminit, neque de re judicat illo, quo debet, acumine. Cogitationes enim confusæ ac vagæ fiunt, neque ad rem facilè redactæ sunt. Ita animus tanquam arcus semper tensus, ejus vi resiliendi amissâ, facilè rumpitur, onus haud leve vix fert,

et eodem modo ac corpus ad ejus vires reficiendas, placidâ eget quiete. Corpus autem haud secus ac mens licet, et ita viribus fractis, facies pallida, concoctio mala, et alia signa illam gignant excitationem haud rarò in maniâ desituram. Quàm multi, qui decori patriæ et amicis forent, hoc usu nimio et mentem et corpus debilitando, in fatuitatem inciderunt, sive in maniam, " nullis medicabilem herbis !"

Animi affectus.—Ad hos referuntur animi motus, tam excitantes, quàm deprimentes. Inter alios enumerantur mœror, gaudium, ira, timor, et amor. Ex uniuscujusque horum effectu, adsunt exempla in quibus homines perierunt. Amoris enim vim, qui certo vitæ tempore adeò cum cordis affectibus sese intertexit, ut omnium potentissimus evadat, eximius poëta in his versibus pulcherrimè depinxit :

" But absent, what fantastic woes, arous'd
" Rage in each thought, by restless musing fed,
" Chill the warm cheek, and blast the bloom of life !
" Neglected fortune flies ; and sliding swift,
" Prone into ruin, falls his scorn'd affairs.
" 'Tis nought but gloom around : the darken'd sun

"Loses his light. The rosy-bosom'd spring
"To weeping fancy pines; and yon bright arch
"Contracted, bends into a dusky vault.
"All Nature fades, extinct; and she alone
"Heard, felt, and seen, possesses every thought,
"Fills every sense, and pants in every vein *."

Res secundæ et adversæ.—Quantùm efficiunt hæ in morbo gignendo, nemo ignorat. Auctores, qui in lucem protulerunt de hoc morbo, satis superque affirmant; eosque quos fortuna divitiis subitò oneravit, malum adoriri, observatum fuit. Hinc Maniam ex nimia excitatione pendere vix dubitandum est.

Superstitio.—Quàm timor Dei, cultusque inanis, nihil mentem deprimere magis adjuvat. De hâc religione vanâ, multa adsunt exempla, quæ adeo animi imbecillitatem probant, ut nihil magis: nec vates ille vanus qui cecinit:

"Thou fair Religion was't design'd
"Duteous daughter of the Skies,
"To warm and cheer the human mind,
"To make men happy, good and wise;
* * * * * *
* * * * * *

---

* Thomson's Spring.

"Till Superstition, fiend of woe,
"Bade doubts to rise and tears to flow,
"And spread deep shades our view and heaven be-
"tween †."

In causarum genere quæ, corporis ope, in mentem agunt, primum tenet locum Venus immodica. De hâc, in animo debilitando, et in corpore solvendo, CELSUS testatur, cujus verba sunt: "Concubitus rarus corpus excitat, frequens solvit." Huic assentiuntur COXE et AMOLDIUS, quorum ultimus hanc habet orationem: "Of all the causes of insanity, none are more effectual or more obstinate than *excessive venery*;" et paulò pòst, inquit idem, "And to add to its fatal power of debilitating the faculties of the mind, and subverting their sound and rational operation, it has a peculiar tendency by nature, while it exhausts the vital powers, and enfeebles the whole animal system, to occasion an increased action of the vessels of the brain, and an unusual determination of blood to that organ, and thus, on

† PENROSE's Flights of Fancy.

"many occasions, to give immediate rise to in-
"sanity, by its direct action upon it."

Inter alia enumerari possunt injuriæ capiti illatæ, ut ictus, fracturæ, intra calvariam exostoses, tumores, cerebrum siccum ac durum; calor magnus aut insolatio, ebrietas, et mensium suppressio. Narcotica, cujusmodi sunt opium, belladonna, demumque exanthemata repulsa, ulcera siccata, aliaque ejusdem generis.

Causa proxima.—Inter omnes convenit, cerebrum mentis esse sedem, ac officinam in qua nervorum ope inde orientium de diversis naturæ rebus in nostros sensus impressis judicamus; ejusque fabrica læsa scimus profectò, mentem ad suo officio perfungendum haud aptam fieri. Injuriâ cerebro illatâ, ex aucto cordis motu oriri videtur. Vasa enim quæ sanguinem vehunt in cerebrum tantâ vi pollent, ut ubi illa nimis pulsant huic plus solito adest excitatio. Hinc insani ea facilè tolerant, quæ sanis injurias magnas sive mortem inferrent. Inde patet, quòd mania capitis ictum sive fracturam sæpissimè comitatur, et eandem rem quoque, capite patefacto,

docent omnia. De causa proxima nihil certi habemus, et de ea, caligo eadem hunc quæ alios morbos obducit. Multùm adhuc abest ut morbi natura patefiat, sed quam ex ulla re alia, plus ex cadavere secto, pendet. Cui sententiæ assentitur HASLAMUS his verbis: "Of the more "immediate, or, as it is more generally termed, "Proximate Cause of this disease, I profess to "know nothing. Whenever the functions of "the brain shall be fully understood, and the "use of its different parts ascertained, we may "then be enabled to judge how far disease at-"tacking any of these parts may increase, di-"minish, or otherwise alter its functions. But "this is a degree of knowledge we are not "likely soon to attain. It seems, however, "not improbable, that the only source from "which the most copious and certain informa-"tion can be drawn, is a strict attention to the "particular appearances which morbid states of "this organ present."

SECTIO CADAVERIS.

Inciso capite, illa in eo adeò turgida reperiuntur ut calvariâ demotâ, statim exiliunt, et ne quidem, ut antea, intra suos ejus limites comprimi queant. Ossa plus solito crassa esse videntur, quorum interiori faciei inæquali adhæret dura mater, quæ aliquando speciem ossis induit præter naturam densa. Nec piæ matri solitus adest color, intra quam ac membranam supra dictam nonnunquam interponitur liquor fuscus vel sanguineus. Materia cerebri plùs minùsve esse observatur dura, aliquando sicca, cui insunt tumores in variis ejus partibus. Vasa intra caput sanguine plus æquo referta sunt, et in ejus ventriculis latex abundat, aquæ similis. Hoc plexus choroides vitiari semper invenitur. Haud rarò mutationem subit glans pinealis, quæ amplificata indurescit rebus rotundis ac exiguis impleta.

DE PROGNOSI.

In omni morbo prognosin facere maximè juvant causæ mali sedesque, ægrique ætas et sexus nec non corporis vires. Quantùm verò ad functiones vitæ perfungendas, sanum valet cerebrum, omnibus notum. Ideò hoc læso, nil esset mirum si mania brevi sequeretur. Attamen illos hoc malo laborantes diu observatum est, nisi signa valdè urgeant, longævos esse. Si autem causæ quæ morbum inducunt et excitant, ex rebus fortuitis originem ducunt, eventum mali bonum prædicere licet; si ex religione vanâ, vel labe hæreditariâ, spes salutis levis est. Si morbus diu perstat, neque intermittet, corpus vi consuetudinis, ad finem bonum minùs aptum fit. Delirium ferox, præcipuè si paralysis aut epilepsia superveniat, infaustus sæpè sequitur eventus. Plerumque cedit mania post parturitionem medicinæ ope. Si æger annis florentibus gaudet, et cum constitutione sana priùsquam in morbum incideret, malo intermittente, plerumque redit in sanitatem. Observatur quoque

ægrum, cùm mente hilari sit, quàm illum qui se aliter gerit, rariùs convalescere. Porrò, aliis morbis supervenientibus, nimirùm hæmorrhagiis, dysenteriâ, &c. malum de quo agitur cepisse haud semel notum est. Tamen nihil certi producere in hoc morbo habemus, et experientia longa ritè docere potest.

DE MORBI CURATIONE.

Omnium morborum genus qui humanum vexant, nullus tam variat in signis quàm de quo agitur, contra quem nil certi medicina offert, quippe quæ haud multâ pollet vi ad hanc pestem debellandam. Quàm difficile est animum coërcere, qui instar equi ferocis sine fræno currit? Attamen medicorum usus sine dubio profuit, qui tam diligentiâ summâ et curâ assiduâ nititur quàm remediis diversis. Historia morbi ritè perpensâ, sponte in duo stadia sese dividit; in alterum, nimirùm, in quo incitatio maxima est, et æger se furiosè gerit, sibimetque et aliis nocere minitatur;—in alterum, in quo incitatio

imminutâ. In his obviam eundo, ut redeat sanitas, usum et remedia paucis in verbis absolvam.

I. Imprimis magni est momenti in vinculos ægros cohiberi, et ab domo, amicis, omnibusque quæ novissent, transferre ut sub ditione sint. Nulla enim res ante oculos poni debet, quam, ullo in modo, quasi suam agnoscere possent. Ita se in custodia detineri percipiunt, multò faciliùs injunctis obsequentur præceptis: neque illos, humanitate neglectâ, quod nimis sæpè fit, unquam flagellare oportet; omni autem in modo conciliare ac furorem pacare. Attamen in maniaco tractando, ubi ferox et audax est, eos qui custodiunt eum tenere oportet in terrore et veneratione, quod optimè fieri potest, promissa præstando, ærumnas animadvertendo, et etiam quidem ei minitanter se gerendo. Porrò insani beneficiorum admodum memores sunt, quæ accepisse se credunt, et haud minùs in imo pectore condunt injurias sibi illatas; et mens haud rarò eorum sana est, quod ad omnia nisi de quo desipit; præterea autem, paroxysmis fi-

nitis, illi, in lucido intervallo, omnia dicere possunt, quæ facta essent, quæve sibi in exacerbatione accedissent. Ita qualibus moribus uti discimus, clementia longè optima est; at vis nunquam adhiberi debet, nisi urgeat officium. Haslamus, cujus experientia de hac re haud tenuis esse potest, hæc habet verba: "As madmen frequently entertain very high and even romantic notions of honour, they are often rendered much more tractable by wounding their pride than by severity of discipline. Speaking of the effects of management on a very extensive scale, I can truly declare, that, by gentleness of manners, and kindness of treatment, I have seldom failed to obtain the confidence and conciliate the esteem of insane persons, and have succeeded by these means in obtaining from them respect and obedience."

Huc spectat *sanguinis detractio*, quæ signis maniæ urgentibus omitti nunquam debet. Hæc enim, ubi caput valdè dolet, vultus turgescit, oculique sanguine suffusi sunt, et præcipuè cum signis sanguinis ad caput magno cum impetu

delato, maximè prodest. Ad hoc conficiendum, aliis persuasum est, sanguinem e brachio copiosè et quamprimum mittere; dum aliis partem ad caput proximam, nempè, arteriam temporalem vel venam jugularem, secare meliùs visum est.

Inter hos, CULLENUS monet mittere donec animus deficiat; tamen opus est ad ægri vires et ætatem spectare. Nunquam enim uni semper ac alteri ægro pariter prodest.

Quod ad medicamenta, notandum est, imprimis usum *purgantium*, quæ plurimùm laudant auctores, quippe quæ alvum expediant, ab acribus malum inferentibus. Plerumque helleborus ab antiquis huc exhibitus est; sed, CULLENO judice, sales medii aliis antecellunt remediis. THOMAS de hac re ita inquit: "Gentle purga-
"tives are of the utmost importance in the
"treatment of insanity; and as constipation is a
"common occurrence with maniacs, those who
"have their superintendance, should regularly
"inquire into the state of their bowels."

Emetica maximè laudat MONRO, cui Londini magna fuit experientia; et Doctor COXE, qui usu etiam peritus fuit, his utitur verbis: "Of all

"antimoniacal remedies, this has stood the test of "ages, having been almost constantly employed "from the days of HIPPOCRATES to the present "time, in every species of this disease from the "furibund mania to the slightest aberration of "hypochondria, and held as a most valuable re- "medy." Quod si ad caput sanguis magno fluat impetu, et rubescat facies, quàm hoc remedio uti, priùs alvum solvere et sanguinem mittere debemus.

Frigidario uti monitum est, ita ut irritatio cedat, sed, ne paralysin inducat, a quibusdam minùs æstimatur. Sed caput circumdare, priùs abrasum, cum pileo ex argilla confecto, vel idem lavare frigidâ aquâ cum aceto mistâ, meliùs respondit.

Alium remedium quo mitior fit furor est *Tepidarii* usus, quod in suis manibus profecisse WILLISIUS testatur; cæteri autem non tantis efferunt laudibus.

Opium sæpè administratum est, ut somnum dulcem conciliet, sed haud infrequenter usu ingravescit furor.

Digitalis quoque in pulsu minuendo maximè juvat.

Vesicatoria in hoc morbo sanando multi laudant, et MONRO ea, quàm capiti potiùs collo et dorso monet applicare.

Quod ad *diætam* spectat, hoc memoriâ dignum est, ut illa semper levis sit et concoctu facilis, neque stimulet. Hoc neglecto, nil prosunt alia.

II. In secundo morbi stadio, quo imbecillum fit corpus, medicamenta his contraria administrari debent. Pro viribus debilitatis, tonica: vinum præcipuè inter convalescendum, exercitatio modica, et quæcunque animum delectare possunt. Denique, in utroque morbi stadio, omnes causas quæ vel prædisponunt vel excitant, omni cum cura præcavere decet.

FINIS.